



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

II. Quid possit Parochus circa Peregrinos, & Vagos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

& quanto tunc periculo salutis alterius?

N V M: II.

*Qui audiendi?*

**T**Vos audies, non alienos, nisi horum superior eam tibi potestatem delegarit. Censetur id fecisse pro casu necessitatis, item pro iis, qui in tuam Parochiam religionis causâ peregrinationem suscipiunt, aut illac iter faciunt, modò non dolo malo, vt proprium pastorem refugiant. Vagi, qui nusquam sedem certam habent, tui sunt, quamdiu inter tuas oues versantur. Religiosos audire potes, si facultatem à Prælato acceperint. Sacerdotibus sæcularibus consuetudo alicubi permittit, vt cuius approbato confiteri possint, & absolui à casibus ibi non reseruatis. Monendus hîc mihi es obiter, mi Neo-paroche, ne sine rationabili causâ miseris, & pauperibus nobiles, & diuites præhabeas, illos extrudas, hos intrudas: offendit enim

*hæc*

hæc indiscreta discretio: aduerte etiam obiter, etsi delegare possis tuam iurisdictionem alteri ad tuos audiendos: debere illum esse ab Episcopo approbatum ad audiendas confessiones.

## N V M: III.

*De surdis, mutis, aut lingua ignaris.*

**S**urdorum confessionem eo loco excipe, vbi cum iis loqui sic possis, vt alii audire non possint. Clamare solent ipsi, quod putent etiam ceteros malè audire: mone eos, vt modestiùs loquantur. Quod si ita capi sint auribus, vt nihil omnino percipiant; signis, & nutibus agendum, insinuandùmq; grauium peccatorum numerum in digitis ostendant: poenitentiam verò illis significa ostensione, verbi gratiâ, Rosarii, vel alio signo. Si nòrunt legere, & scribere: scripto interrogare, & quædam monere potes, & ipsi confiteri possunt scripto, si velint; nam saltem extra periculum  
mortis,